



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 284. An Matrimonium illud contractum in infidelitate solvatur quoque per susceptionem Ordinum vel per emissam profectionem religiosam à fideli converso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

cum gl. in c. fin. 28. q. 2. v. *Et in matrimonium*, contra D. Thom. in 4. d. 37. q. 2. a. 5. ad 3. S. Bonav. *ibid.* a. 2. q. 2. Ponc. l. c. num. 25. & alios motus hac ratione non satis firma: quia jure divino arcetur à novo conjugio contrahendo, eò quòd renuens peccet in Deum & matrimonium, posse tamen eum id ipsum, postquam & ipse conversus ad fidem, docent horum AA. aliqui; & ut horum alii, egere & tunc ad hoc dispensatione.

Quaest. 284. An matrimonium illud contractum in infidelitate solvatur quoque per susceptionem Ordinum vel per emissam professionem religiosam à fidei converso.

1. **R**esp. primò supponendo cum Sanch. l. 7. d. 76. à num. 1. Castrop. l. c. num. 11. & communi, non posse fidelem conversum hos status cum matrimonio incompatibiles assumere, antequam infidelis discedat physicè vel etiam moraliter; post discessionem autem illam fidei cognitam, posse illum suscipere Ordines & religionem intrare, non secus ac alius fidelis innocens celebrato divortio quò ad thorum, etiam reclamante altera parte; & ita quidem, ut post susceptos Ordines aut ingressum in religionem non sit restituendus infideli jam etiam converso ad fidem, ut Cóninck. l. c. Sanch. num. 6. Castrop. l. c. quamvis duo postremi velint, fidelem ingressum religionem, si tempore conversionis conjugis infidelis necdum emisit professionem, restituendum illi; eò quòd necdum assumpsit statum incompatibilem, & causa divortii omnino cesset.

2. Resp. secundò directè: Vinculum talis matrimonii (intellige etiam in infideli discedente physicè vel moraliter) non solvi imprimis per susceptos Ordines à fidei; cum nullibi id privilegium concessum huic susceptioni, & ne quidem per eos solvatur matrimonium ratum fidelium. Sanch. Castrop. cum communi, ut ajunt; quamvis dicant, contrarium teneri ab aliquibus non infimè notè AA. dein neque per professionem religiosam; cum nullibi quoque reperiatu professioni concessum privilegium illud solvendi matrimonium consummatum (quod non nisi ex divina concessione solvi potest) etiam infidelium, cessatque hic omnino ratio, ob quam per matrimonium contractum à fidei solvatur prius contractum ex divina concessione, nimirum ne conjug conversus cogatur vel calibem vitam ducere, vel habitare cum infideli obstinato, orto inde periculo perversionis aut aliter peccandi, ac ita reddatur conversio odiosa, cum jam ipse per professionem liberet se ab ista cohabitatione eligendo vitam celibem, ita docent Hurt. l. c. diff. 14. num. 52. Castrop. l. c. num. 12. Ponc. n. 19. Cón. n. 65. cum Abul. 1. Reg. c. 8. q. 68. & 74. contra Sanch. d. 76. n. 9.

Quaest. 285. An quoque solvatur matrimonium fidelium per hoc, quòd unus conjugum labatur in hæresin, aut transeat ad errores gentilium, ita ut innocens transire possit ad aliud matrimonium.

Resp. Negativè, tamen aliàs in hoc casumajor videri posset contumelia creatoris, sic enim expressè deciditur in c. quanto, h. t. ab Innoc. III. quam sententiam, ait Pirh. h. t. n. 36. hodie relata esse inter decreta fidei autoritate Trident. sess. 24. can. 5. de mat. ubi: *si quis dixerit propter hæresin dissolvi posse matrimonium, anathema sit*; neque obstat, ut habent verba cit. c. quanto, quòd fortè opponi posset, fidelem relictum non debere jure suo sine culpa privari; cum in multis casibus id contingat, ut si alter incidatur, hoc est, castretur, per quam responsionem quorundam malitia occurritur, qui si in odium conjugum, vel quando sibi invicem displicerent, si in tali casu uxores dimittere possent, simularent hæresin; & sic is, qui remanet in fide cogatur ad eum redire, qui ab hæresi vel infidelitate revertitur; & per hoc ipsum solvitur quaestio, hucusque verba cit. c. Porro dum eod. c. dicitur ab Innoc. quendam ex Prædecessoribus suis (fuit is Cælestin. III. ut gl. hic v. prædecessor. & Host. qui in quadam decretali epistola sua, quam dicunt olim insertam fuisse corpori Juris, tit. de convers. infidel. definivit, matrimonium dissolvi, dum alter conjugum labitur in hæresin vel ad gentilium errorem transit) visum sensisse contrarium, malè infertur ab hæreticis, Romanum Pontificem, dum aliquid ut Ecclesiæ universalis Rector & pastor definit, errare posse, cum imprimis Cælestin. hac de re nihil definiverit, ut constat ex verbis cit. c. quanto, ubi dicitur *sensisse* non *definivisse* censetur; sed solum antequam res illa examinaretur, propendebat in illam sententiam, & respondet, quòd sibi probabilius videbatur, quin & ipse Innoc. in cit. c. ait: *non credimus, quòd in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero conjuge possit ad secundas nuptias transire*. Sed neque ex eo, quòd aliquid in corpore juri contineatur, sequitur, quòd sit à Pontifice definitum, cum multa habeantur in corpore juris, quæ Pontifices non definiunt tanquam fidei articulum, sed tantum dicunt & referunt suam sententiam, respondentque, quòd sibi probabilius videtur, Azor. p. 2. l. 5. c. 4. q. 3. in object. 2. & ex eo Pirh. n. 34.

Quaest. 286. Ut matrimonium dissolvatur, seu potius nullum declaretur, quæ probatio requiratur.

1. **R**esp. primò: Tamen in foro conscientiae probatio nulla alia requiri videatur, quam ipsorum contrahentium testimonium, quippe cum in hoc foro sola eorum salus spectetur, iis fides adhibenda est, nisi aliunde colligatur manifesta deceptio, Sanch. l. 2. d. 45. num. 2. Menoch. de *presump.* l. 1. *presump.* 77. num. 16. Covar. in 4. *decret.* p. 1. c. 4. §. 1. num. 9. Cón. l. c. du. 6. in *pr.* Castrop. cit. p. 2. §. 6. num. 1. in foro tamen externo insufficientis ad hoc est testimonium illud contrahentium, tamen causa dissolutionis alligata sit fictio; eò quòd licet hæc causa, utpote interna, solum ei, qui illam opponit, nota esse possit, ejus tamen probatio eliditur matrimonio exteriori contracto, Arg. c. per *inas.* de *prob.* ubi: *nimis indignum est juxta legitimas sanctiones, ut quòd quisque sua voce lucide protestatus est, valeat proprio testimonio infirmare*; unde nisi ad sint conjecturae aliae, quæ moraliter certò persuadeant, stan-